

homo non velit, ut patet in enchiridio, capite trigesimo secundo, et ad Simplicium quæstione secunda, quod pro tam magno absurdo infert Augustinus, ut eo testimonio Pelagium convincat. Similiter ergo hic, si remedium hominum esset volitum ut remedium ad incarnationem, et non ut ratio motiva volendi illam, verificaretur, quod sic Deus dilexit Christum ut nos vellet redimere; non autem quod sic dilexit nos ut daret Christum pro nobis; quod est magnum absurdum in Scriptura.

XXXI. Præterea: Si Deus ante omnem prævisionem peccati voluit Christum ut finem, deinde tamquam medium elegit ipsum venire in remedium peccati, inquiri an ante electionem istius medii præviderit peccatum; vel prius elegerit remedium peccati ut medium, quam præviderit peccatum? Hoc secundum dici non potest: si enim remedium peccati elegisset ante prævisionem ejus ex vi talis volitionis obligaretur Deus permittere peccatum ut remedium illius daretur; quod est omnino præposterum ordini rationis velle morbos propter medicinam: sicut velle culpam propter poenam infligendam, nisi forte vellet remedium pro culpa, non quæ erat, sed si esset: sicut rex, qui mittit medicum in exercitu propter vulnera si sint, non quæ jam sint. Sed hoc est impertinens, quia ex vi talis voluntatis, aut missionis medici, etiamsi de facto non fuissent vulnera, medicus venit; et etiamsi non sequerentur peccata, Christus veniret passibilis, ut redemptor, quod negat illa sententia.

XXXII. Si autem dicatur, quod inter prævisum Christum ut finem, et electionem talis medii, scilicet ipsum esse redemptorem, prævisum est peccatum, et electum medium redimendi, fit validum argumentum, quia sane oportuit, quod in-

tento Christo immediate post videret creationem Angelorum, et hominum in ordine supernaturali, a quo homo per peccatum decideret; neque enim peccatum potuit videre antequam gratiam, seu hominem in gratia. Tunc inquiri, quando Deus vidit se creaturum hominem in gratia post intentum Christum, vel homo ille prævisus in illa gratia, et in illo statu innocentiae, referebatur ad Christum ut ad finem pro illo statu gratiae, et innocentiae, vel non; si non referebatur; ergo Christus ante non erat prævisus ut finis omnium, si quidem immediate post creabatur homo, et non referebatur ad Christum; cur ergo non hoc ponemus ante intentum Christum; si referebatur; ergo veniret Christus pro illo statu innocentiae, etiamsi postea non videretur homo peccare, et remediari per Christum, quia jam Christus erat finis status innocentiae, et homo de facto constitutus in illo, et executioni mandatus ille status cum dependentia a Christo fine illius: veniret ergo independenter a peccato, et consequenter tunc jam conciperetur venturus non ut redemptor, sed convenienter ad illum statum innocentiae. Quomodo ergo postea viso peccato mutatum est decretum ut veniret redemptor? Et saltem, qui asserunt Christum venturum nisi existente peccato, quia remedium peccati erat medium ad illum finem, hinc convincuntur evidenter.

TERTIA CONCLUSIO.

XXXIII. Dico tertio: Simpliciter est probabilior, et conformior Scripturæ S. Thomæ sententia, quod Christus non veniret, non existente peccato: opinio autem opposita habet probabilitatem, si eo modo de-

fendatur, quo S. Thomas dicit in tertio sententiarum.

XXXIV. Pro intelligentia advertite, quod S. Thomas in III, dist. I, quæstione secunda, articulo III, dicit esse probabile: « Quod Christus veniret non existente peccato, quia per incarnationem Filii Dei, non solum liberatio a peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, et totius universi consummatio facta est, etiam peccato non existente, propter has causas incarnatio facta fuisset, et hoc probabiliter sustineri potest: » et solutione ad ultimum explicans contrarias auctoritates dicit: « Quod loquuntur de adventu in carne passibili ad redimendum, non de adventu in carne simpliciter. » Sic D. Thomas, ut proinde videas non fuisse Scotum primum hujus sententiæ auctorem. Et D. Thomas hic non pro indubitato asseruit Christum non venturum, si homo non peccasset, sed quod assertioni illi magis consentiendum videtur.

XXXV. Et in summa probabilitas utriusque sententiæ reducitur ad hoc, an exaltatio naturæ humanæ, vel commutatio universi, et similes causæ fuerint præcipuæ, ad illasque reducatur remedium peccati; an vero e contra remedium peccati fuerit præcipua causa; aliæ vero reducantur ad illam, ut sanctus doctor dicit hic artic. III ad primum. Nam omnes aliæ rationes, quæ probant absolute Christum ita debuisse intendi, ut esset finis independenter a prævisione culpæ, nihil probant, ut ostendemus articulo sequenti, cum totum hoc factum pendeat ex mera voluntate Dei, sic vel sic volentis illum finem ponere in hoc universo, et honorare illud, vel non.

XXXVI. Quare modus defendendi unam, vel alteram sententiam, consistit in hoc, quod Deus de facto quidem propter multas causas intendit Christum venire, non totales, sed

partiales: sicut aliquis potest intendere aliquid, aut eligere, quia valet ad plura, omnia tamen vult per modum unius: et quia de facto Christus voluit redemptionem peccatorum de facto in actu intentionis, sic voluit ut veniret tamquam redemptor: et quia voluit ad honorandum totum universum et consummandum illud in summa perfectione, sic voluit ut veniret. Quia autem hæc ratio consummandi, et perficiendi universum fuit primaria, et per se, ad quam cæteræ reducuntur, dicit illa sententia, quod etiamsi de facto non voluisset Deus ut redimeret, nec daretur peccatum, propter rationem positam, veniret variato decreto, non quoad primariam rationem, sed quoad illam circumstantiam redemptoris.

XXXVII. Alia vero sententia dicit, quod quia primaria ratio erat redemptio a peccato, aliæ vero secundariæ, non existente peccato non veniret Christus, nisi totaliter decretum variaretur, quia deficeret primaria ratio, cæterarum fundamentum. In utraque tamen sententia debet dici, quod antequam Deus hunc finem incarnationis vellet, præsupponebat prævisum ordinem naturalem, et supernaturalem, non per modum efficacem, sed per modum providentiæ generalis (ut sequenti assertionem dicemus) et post prævisum illum ordinem sub ratione providentiæ imponentis ordinem, non efficaciter decernentis exitum rei, tunc incepit ordo intentionis efficacis ex hoc fine indebito, et libere voluto pro creaturis; vel ex motivo redimendi primario, ut nos dicemus, vel ex motivo exaltandi hominem, et secundario redimendi, ut alii dicunt.

XXXVIII. Nostra ergo sententia probatur unico fundamento, quia quod ista sit primaria ratio, vel illa incarnationis Christi, solum potest sumi ex revelatione Dei in Scriptu-

ris, et explicatione sanctorum: semper autem pro incarnationis motivo, etiam quoad substantiam incarnationis, assignatur nostra salus, et remedium, et aliquid nostrum, scilicet dilectio nostra, et charitas, qua Deus amavit nos, et hæc tamquam particularis causa prædicatur: etenim dicitur, quod: « Propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est » ut habetur in symbolo, et quod: *Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, ubi duo expendenda sunt pro efficacia hujus rationis.

XXXIX. Primum, quod symbolum non solum loquitur de passione et morte Christi, sed de ipsa substantia incarnationis: nam dicit propter nos homines descendisse de cœlis, et incarnatus est, deinde tamquam actiones distinctas commemorat, quod sit passus, mortuus, et sepultus. Similiter dicit Scriptura, quod: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, non dicit, ut Filium suum morti traderet, aut passibilem mitteret, sed absolute traderet: loquitur ergo etiam de ipsa substantia incarnationis, et non solum de passibilitate carnis, aut passione.

XL. Secundum est ly propter, nam si alia causa veniendi daretur principalior, aut æque principalis cum redemptione, non posset ly propter verificari absolute, et simpliciter, sed secundum quid. Quod manifeste videtur convinci, nam ly propter, essentialiter, et intrinsece importat rationem causæ moventis; ergo illa ratio, seu motivum, quod non simpliciter, et absolute exercet causalitatem non potest dici simpliciter, et absolute, quod propter ipsum fiat, sed solum secundum quid.

XLI. Rursus illa causa simpliciter exercet causalitatem suam motivam, a qua simpliciter pendet effec-

tus in illo genere causæ; et illa secundum quid a qua non simpliciter pendet, sed sine illa potest subsistere; si ergo daretur alia ratio, seu causa principalior motiva propter quam veniret Christus, sive in peccati remedium, sive non, aut æque totalis a qua penderet incarnatio, ita quod sine ordine ad remedium peccati operaretur incarnationem; ergo non potest verificari, quod simpliciter, et absolute pendet incarnatio a motivo redemptionis, et consequenter non verificatur, quod motivum redemptionis est simpliciter per quod incarnatio est facta, et Christus descendit de cœlis, cum tamen in symbolo, et Scriptura, absolute dicatur, et simpliciter: et temerarium videtur explicare, quod ly propter sumatur secundum quid, et non simpliciter ut sonat.

XLII. Et hæc ratio sic ponderata destruit omnem solutionem adversariorum, qui vel dicunt intelligendum esse ly propter, quod venit propter nos ut passibilis, et secundum alias circumstantias, non quoad substantiam incarnationis: vel quod intelligitur venisse propter nostram salutem in executione, non in intentione: vel quod venit propter nostram salutem non particulariter, et ex primaria intentione, sed ex secundaria, aut concomitanti, non per se concurrente. Ad hæc capita fere reducuntur omnes solutiones, quæ ex dictis enervatæ manent.

XLIII. Contra primam solutionem, constat auctoritates inductas, et alias similes, non loqui tantum de circumstantiis; sed de ipsa incarnationis substantia; et aliqui patres sic etiam de ea loquuntur, ut Leo sermone tertio de pentecoste: « Si homo in perfectione, et honore, quo creatus est permansisset, creator creatura non fieret; » et Athanasius sermone III contra Arianos: « Ut fieret homo nunquam prædesti-

natum fuisset, nisi hominum necessitas huic rei causam præbuisset: » Augustinus tract. IV in Joannem: « Si peccatores Deus non amaret, e cœlo ad terram non descenderet: » et sermone IX de verbis Apostoli: « Nulla causa fuit Christo Domino veniendi, nisi peccatores salvos facere, » et multi alii patres similia loquuntur, præcise de incarnationis substantia loquendo.

XLIV. Nec quando symbolum, et Scriptura dicunt, quod propter nos venit, etc. excludunt substantiam incarnationis, sed plane includunt illam. Et urgetur argumentum: Nam si solum passibilitas incarnationis est propter nostram salutem, non vero substantia incarnationis; ergo qui seorsum, et separando passibilitatem, loquendo de sola incarnationis substantia, diceret Filius Dei descendit de cœlis, aut incarnatus est propter nos, aut datus est mundo propter dilectionem hominum, falsum diceret; si quidem salus hominum, in hac solutione, non fuit motivum substantiæ incarnationis, sed solum passibilitatis; cum tamen oppositum Scriptura dicat, et illa propositio secundum se concedatur: Propter nos homines descendit de cœlis, etiamsi non fiat mentio de passione, aut passibilitate.

XLV. Dicere autem, quod propter nos descendit de cœlo, prout asseritur in symbolo, scilicet, copulando id cum aliis actionibus, natus et passus, etc. id est, totum illud copulativum fuit propter nos, non qualibet actio seorsum, est falsa solutio, quia sic in re, et simpliciter esset falsum dicere incarnationem, et descensum de cœlo seorsum a passione esse propter nos, quod communiter dicit Ecclesia.

XLVI. Similiter alia solutio, quod venit propter nos via executionis, non intentionis, videtur implicare in dictis, quia executio non fit prop-

ter aliquid, quod non sit intentum; nec enim ad executionem pertinet causam præstituire, propter quam aliquid fiat, sed præstitutam supponere, et exequi, quod est intentum, et propter quod intentum est; ergo si in executione fit propter nos, illud propter, in intentione præcessit. Quod autem in executione detur gloria propter merita, et non in intentione, non obstat, quia hoc ipsum, quod est gloriam esse dandam propter merita, et non sine meritis, fuit volitum in prima intentione gloriæ: nec enim fuit decretum ut daretur gloria absolute, sed per merita, licet ad hoc totum decernendum, non per merita motus fuerit Deus.

XLVII. Denique, tertia solutio evacuata est, quia si ex secunda intentione, vel concomitanti, venit propter nos homines; ergo non simpliciter, et absolute, sed secundum quid venit propter nos, quia simpliciter non penderet ab hac secunda intentione ipsa incarnatio. Cæterum ut hæc omnia hucusque dicta firmiter, et radicalius intelligantur, et resolutio comprehendatur sit

QUARTA CONCLUSIO.

XLVIII. Dico ultimo: Ante decretum efficax prædestinationis Christi fuit decretum pertinens ad providentiam generalem, per quam determinatum est creaturam rationalem habere esse et gratiam; visaque est humana natura cadere, et tunc incepit ordo prædestinationis, et decreti efficacis circa Christum; incepitque hic mundus habere Christum pro fine, secundum efficacem voluntatem producendi illum, ut ordinatur efficaciter ad Christum.

XLIX. Ut doctrina, hæc intelligatur, præ oculis habenda est alia doctrina præcedenti articulo posita

ex D. Thoma in quæstione vi de veritate, articulo primo, quod: »Aliud est providentia, quæ respicit impositionem ordinis, aliud efficax prædestinatio, quæ respicit exitum, seu eventum rei. » Et quidem providentia, quæ ordinem imponit in re, aliquid etiam exequitur, sed non ultimo perducit ad finem. Nam quando Deus dat sufficientia auxilia non bene usuris, aut gratiam reprobo, etsi illa ordinentur ad bonum effectum, et ista ad beatitudinem, neutra consequitur finem suum, pertinetque exhibitio illa gratiæ, et donorum ad providentiam generalem, non ad efficacem prædestinationem.

L. Dicimus ergo, quod prius intelligitur providentia generalis circa ordinem naturæ, et gratiæ, quam intelligatur ordo prædestinationis, et efficacis decreti. Et quando decrevit Deus per providentiam generalem creare mundum, et ordinem gratiæ, non intendit finem aliquem supra omne debitum, et voluntarie rebus impositum, sed solum finem connaturalem, et proprium illis. Cujus ratio est, quia hæc providentia generalis, ut dicit S. Thomas, non respicit exitum, seu eventum rei, sed impositionem ordinis in rebus, unde ad ipsam solum spectat connaturales fines respicere, secundum quos imponitur hic ordo, et ita cum primum Deus decrevit ordinem non duraturum, sed casurum a fine suo condere, ibi non respexit efficacem exitum rerum, sed impositionem ordinis, atque adeo solum respexit proprium, et connaturalem cujuscumque ordinis finem, sicque pro illo statu non erat aliquid subiectum Christo.

LI. An vero, etiam pro tunc, et sub formalitate illius status intelligerentur jam Angeli prædestinati ad gloriam efficaciter ante Christum, vel solum ordinati per gratiam ad

beatitudinem, et aliqui eorum peccantes, et homines in peccatum inducentes, postea disquiretur solvendo argumentum, quomodo Christus sit primus prædestinatus.

LII. Post decretum autem istud generalis providentiæ, incepit efficax prædestinatio, et ibi incepit primo a fine, ut reparativo hominis, et sub statu reparationis ordinantis efficaciter ad illum reliquas creaturas, et totum universum, etiam secundum esse naturale, non absolute consideratum, sed ut pars status reparationis, et inducens illam rationem reparabilitatis. Unde Christus Dominus efficaciter nunquam est intentus ut finis omnium, nisi determinate consideratus sub statu passibili, nec remedium peccati potuit esse medium volitum ad hoc, ut veniret Christus ex vi primæ efficacis intentionis, nisi præsupponeretur prævisum peccatum; atque adeo cogimur ponere remedium peccati, ut motivum principale efficacis intentionis Christi.

LIII. Rationem vero ex supradictis conclusionibus hic recapitulantes, sic colligimus, et formamus hunc discursum: Intentio efficax in Deo circa aliquem finem in particulari, et singulari, debet ex vi primæ intentionis habere efficaciam infallibilem respectu suæ assequibilitatis; in quo distinguitur ab efficacia intentionis nostræ, quæ non potest esse efficacia infallibilis, sed contingens, et ideo pendens a consilio, et determinatione mediorum, sicut causæ creatæ, et naturales dependent ab extrinsecis requisitis, sine quibus non possunt operari: ergo oportet quod ille finis intentus ex vi suæ primæ intentionis, ita determinate sit volitus, quod non relinquat indifferentiam aliquam determinandam per electionem mediorum, sed ex vi sua habeat infallibilem connexionem cum requisitis ad

asseccutionem finis. Consequentia patet, quia quantumcumque aliqua intentio sit efficax, si tamen ex se non habet determinationem circa statum rei intentæ, ita ut non possit inferre ex se sola determinatum medium ad assecutionem, sed adhuc indifferentiam habeat respectu hujus medii, vel illius, utique illa indifferentia determinanda est per consilium, et electionem determinati medii; ergo illa intentio efficax non habet infallibilem efficaciam cum assequibilitate finis, sed solum habet efficaciam indifferentem, et dependentem a determinatione mediorum; nam sine determinato medio non potest consequi ille finis. Ergo si intentio non determinate se habet, taliter quod ex vi sua infallibiliter est illativa determinati medii et requisitorum ad consecutionem finis, sed habet ad id indifferentiam, et determinationem per alium actum, consequenter in vi sua, et stando intra limites intentionis, non est efficax infallibiliter; si quidem efficacia sumitur ex ordine ad eventum et exitum rei, cum quo non habet infallibilem connexionem per seipsam, sed dependenter ab electione secutura, et determinatura ejus indifferentiam.

LIV. Dedecet autem, in aliquo actu Dei efficaciam ponere sine omnimoda infallibilitate, quia debet removeri, et purificari ab omni contingencia. Remota autem omni contingencia manet infallibilitas, et ideo in nobis aliter ponenda est efficacia intentionis, quam in Deo, quia in nobis potest pendere ab electione determinati medii, et a consilio, et inquisitione diversorum mediorum. Est enim in nobis efficacia imperfecta, et contingentia subjecta, non omnino infallibilis; in Deo autem non potest poni electio nisi determinati medii, quod per se, et infallibiliter inferatur ex

intentione finis, quia efficacia intentionis, etiam ut intentio est, infallibilis esse debet, atque adeo sine ulla contingencia connexionem habere cum determinata assequibilitate finis; quod non potest esse si indifferentiam aliquam retineat determinandam per consilium, et electionem mediorum.

LV. Ex quo urgetur amplius id, quod valde præmittunt oppositæ sententiæ auctores, qui dicunt incarnationem intentam quidem efficaciter ut finem, sed non exequendam nisi per medium redemptionis a peccato; sicut electus ad gloriam efficaciter non nisi per determinata media, seu merita prædestinatur, et assequitur finem, et ita non veniret Christus nisi existente peccato: sicut electus non salvatur nisi existentibus meritis.

LVI. Sed urgetur valde argumentum contra hos auctores: Quia quando finis aliquis per diversa media potest assequi, et non per unicum tantum, si intentio efficax indifferens est circa illa, et non nisi in confuso vult tale medium determinatum, etiamsi talis voluntas efficax debeat adimpleri, non tamen est decretum, quod per tale determinatum medium impleatur; neque est efficax, et infallibilis, ut determinate constituatur pro medio ipsa redemptio; posset enim aliud medium eligere, cum non sit tantum unicum: ergo bene potest salvari illa intentio efficax sine hoc quod peccatum existeret, quantum est ex vi illius intentionis. Futilis ergo est illa sententia, quæ vult salvare Christum non venturum, nisi propter remedium peccati, si ponit intentionem efficacem veniendi Christum ante prævisionem peccati, et ipsum remedium peccati tamquam medium, quod ex se non est connexum naturaliter cum illo fine, nec est medium unicum.

LVII. Hoc argumento Lorea convincitur ad dicendum, quod intentione incarnationis non solum Christus inventus fuit ut finis, connotando media in confuso, sed hoc medium determinate, scilicet remedium peccati, atque adeo illo deficiente, ex vi illius intentionis non veniret.

LVIII. Sed quis non videt hanc solutionem sustineri non posse, nisi ponendo antecedenter ad illam intentionem prævisionem peccati. Etenim vel Deus volebat Christum ut finem, connotando pro medio remedium peccati prævisi, vel non prævisi. Si prævisi, habemus intentum, quod præcessit actum intentionis prævisio peccati, ut posset connotare pro medio remedium illius; atque adeo cur etiam non potuit esse motivum intendendi talem finem, si quidem circumstantia passibilitatis proprie non erat medium, sed status ipsiusmet rei, quæ pro fine intendebatur? Nec explicari potest, quid ex parte ipsius finis determinate intendebatur taliter, quod ex vi illius infallibiliter connotaretur medium redemptionis, potius quam aliud medium; hoc etiam vix potest explicari in hac sententia, nisi ponamus determinatum motivum volendi talem finem, quod fuit remedium peccati, et motivum redimendi.

LIX. Si autem connotabat pro medio remedium peccati non prævisi, sequitur ut supra inferebamus, quod vel Deus determinabat remedium peccati si foret, sicut qui mitteret medicum pro vulneribus si fuerint; et tunc ex vi illius intentionis veniret, etiamsi peccatum de facto non poneretur: vel si Deus ponebat pro medio remedium peccati futuri de facto, si non erat jam prævisum, ex vi illius volitionis efficaciter, et infallibiliter erat prævidendum aut ponendum; et cum illa

voluntas intentionis non esset permissio, sed positivus actus, sequitur quod aliqua voluntas, quæ non est permissio haberet connexionem infallibilem cum peccato futuro, quod est Deum velle peccatum secundum se, saltem virtualiter.

LX. Bene video dici posse, quod illa voluntas non tenetur infallibiliter velle peccatum, sed permittere; nec haberet connexionem cum peccato, nisi mediante permissione, quia licet non permissionem, sed peccatum ipsum remediare vellet, non tamen tenetur Deus ex vi voluntatis redimendi, velle ipsam materiam redimendam formaliter, et immediate, sed mediate, scilicet mediante permissione. Et propterea dixi, quod haberet connexionem cum peccato saltem virtualiter, quia hoc ipsum est magnum absurdum ponere in Deo voluntatem talem, quod ex vi illius teneretur velle permissionem peccati. Unde actus illi, qui determinate, et essentialiter versantur circa peccatum, tamquam circa materiam, ut penitentia, et redemptio, non possunt esse directe intenti a Deo, ne ponamus in Deo voluntatem obligandi se ad permittenda peccata.

LXI. Qui tamen hoc devoraret, non video posse aperte convinci, quia ex hoc non sequitur Deum velle ipsum peccatum, quod est materia redimenda, sed solum velle permissionem materiæ redimendæ, quæ permissio infallibilem connexionem habet cum peccato, licet non causalitatem. Est tamen hoc contra ipsum ordinem naturæ, velle remedium malorum antequam sint mala, et ut sit remedium, obligare ad permittenda mala. Et semper urget illud, quod vix habet explanationem, unde voluntas intendens Christum ut finem determinare, potius hoc medium elegerit, quam aliud, supposito quod videbat Deus

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta.

pluribus mediis posse hunc finem consequi, nisi aliquod motivum habuerit volendi sic determinate finem, quod tale determinaret medium.

LXII. Nisi dicatur, quod pro sua voluntate voluit tantum sic diligere finem, inclinando ad hoc medium redemptionis, quod non ad aliud. Sed nos non inquirimus de hoc universali motivo, quod est voluntas Dei, sed de motivo proximo, quod habuit hæc voluntas, explicato nobis in Scriptura, quod fuit propter nostram salutem; ad hoc enim ipsum, quod est velle hunc finem tali determinatione, quod connotaret hoc medium potius quam aliud, oportet assignare motivum determinatum, et consequenter aliqua ratio concernens ordinem a peccato, debet intervenire in intentione talis finis sub habitudine ad tale medium, quod est redemptio a peccato.

LXIII. Velle autem remedium peccati ante peccatum, sicut velle penam ante culpam, est dicere, quod pena est ex primaria intentione, et tam efficaciter volita, quod ex vi illius voluntatis tenetur Deus permittere mala; quod est facere Deum summe crudelem, intendendo penam ut penam ex primaria intentione; sicut medicinam, ut medicinam ante morbum. An vero Deus in illo ordine providentiæ generalis, antecedenter ad decretum prædestinationis, præviderit omnia naturalia in individuo, et omnia peccata, quæ modo existunt, cum multa pendeant ab ipso Christo, et ejus incarnatione, disquirendum est in solutione argumentorum.

I. Primo, arguitur argumento Scoti, ut proponitur a Vazquez disp. XI, capite ultimo: Quicumque ordinarie volens, prius vult finem, deinde media; et inter ipsa media, prius vult id, quod est propinquius fini, quam quod minus propinquum, sed incarnatio Christi est propinquior fini universali quam redemptio hominum; ergo prius voluit incarnationem, quam redemptionem.

II. Secundo, arguitur argumento ipsius Scoti: Inter prædestinatos, quibus Deus vult gloriam ordinate, prius vult gloriam illi, quem vult esse proximum fini; ergo prius vult gloriam animæ Christi, quam aliqujus alterius, sed aliis prius vult gratiam, et gloriam quam prævideat oppositum gratiæ, et gloriæ, quod est peccatum, et damnatio; ergo de primo ad ultimum prius vult animæ Christi gloriam, quam prævideat Adam. Confirmatur, quia non est verisimile tam summum bonum, sicut est incarnatio esse occasionatum propter minus bonum, et quod prius præordinasset Adam ad tam summum bonum, quam Christum Dominum.

III. Tertio arguitur: Christus est primus omnium prædestinatorum, tam hominum, quam Angelorum, juxta illud: *In capite libri scriptum est de me: et est caput omnis Ecclesiæ et finis omnis creaturæ; dicitur enim: Primogenitus omnis creaturæ, et omnia sunt ei subjecta: et: Quod ipse est propter quem omnia,* ad Heb. II: et: *Quod est in omnibus primatum tenens,* ad Colossenses I; ergo nulla creatura est efficaciter decreta ante Christum, nec ullus Angelus prædestinatus